

QUOD BENE VERTAT!

# MONOMA: XIAN VETERUM HYPER- BOREORUM,

cum pace

Celeberrimorum ad Aoram  
PHILOSOPHORUM,

et ope

*Admodum Reverendi Domini,*

# TORSTANI RUDEEN,

Poës. Prof. Amplissimi,

*In Auditorio Aboënsi.*

Die 27 Octob. Anni 1703.

Ad HONORES MAGISTERII  
iturus,

*disputandam dat*

# JOHANNES TÆPO S.F.

---

EXC. JO. WALL.

Reverendissimo

In CHRISTO Patri ac Domino,

DN. JOHANNI  
RUNGIO,

S. Theol. DOCTORI Amplissimo,  
Dioecesis Narv. SUPERINTENDENTI  
Celeberrimo,  
Patrono suo propensissimo,

**D**a veniam, Pater alme, tuis quod sup-  
plicat aris,

Qui colit eterno nomen honore Tuum.  
Da, liceat templo tabulam suspendere  
vestro,

Unde crebram sensit naufragus hospes opem.  
Cede quod extorquet supplex tibi palma clientis,  
Ne, licet indigni, dememinisse velis.

hanc opellam inscribit  
devotissimus cultor

Joh. Talpo.

\* \* \* \* \*

Quod cum DEI Gratia,  
& boni LECTORIS pace fiat!

I.



*evonaxia a μόνον unus, solus & μάχομαι pugno, derivata, significat pugnam, quam solus cum solo init. Vocatur hæc latinis duellum, suecis Holmgång & Entriggs Kamp.*

2. Est autem alia palestrica & ludicra, quæ animi & corporis in variis artibus & heroicis exercitiis instituendi causa suscipitur : ejus generis erant Græcorum exercitia athletica, quæ lucta, pugno, disco, trocho, quadrigis, calculatione &c. fiebant; talia quoque erant follennia Borealium exercitia, quibus omnes ingenui & nobiles juvenes initabantur.

3. Erant autem vel bellorum præludia & artes militares numero 12, Id est s. exercitia principis dictæ: ex. gr. ars natandi, jaculandi, equitandi/ rijda

A

spetr.

sperr / luctandi, clava, cæstibus, pugionibus & ensibus pugnandi, vel ludi Scal-dorum & literatorum ænigmatibus & hymnis certantium, quibus quoque no-biles adolescentes intererant, ut majo-rum res gestas audirent, exque iis in-struendæ vitæ, nec non reipublicæ ge-rendæ documenta caperent.

4. Conveniebant vero certis anni temporibus in circis Lekewallar dictis, præcipue ad principum aulas, ut experi-rentur mutuo suas vires & in artibus his progressus : tum vero non puerilibus lusum fuit ingeniis, sed plane fortibus & militaribus. Imo his exercitiis non mo-do nobiles pueri, sed quoque puellæ & virgines addictæ erant: sic duæ Hervoræ celebrantur in Herv. Saga & Thorborga Erici Upsalarum Regis filia, Roffs S. c. 17. nec non Brynhilder Hertriggeri Russiæ Regis filia Asm. S. c. 1. item mulier illa armata, quæ rusticò Tware nupsit Herr. S.

5. Alia vero pugna seria est & ho-stilis, quæ animo infesto fit, & intentio-ne per vim & arma hosti vitam eripiendi

&amp;

& gloriam fortitudinis comparandi: non tam prior, quam posterior hujus loci est.

6. Est autem hoc genus pugnæ mox a condito mundo ortum, etiam quum homines nondum sub imperiis degabant, sed tum demum frequens est factum, quum cœptæ sunt res certis Dominis propriæ fieri, quæ pluribus ha-  
ctenus communes erant; tum enim uno rem communem in proprietatem vindicante & altero de suo communi jure non concedente, lis nata est, quam ubi nullus judex dec̄dit, vis non modo invicem inferri, sed & vi repellendi cœpta, resque in ejus potestatem redacta, qui viribus altero superior erat.

7. Deinde aucta & multitudine & malitia hominum, ne cum constitutis civitatibus, cœpta sunt quoque ea, in quæ ne speciem quidem juris invalore habuit, vi & dolo impeti, & à posseſſore vi juxta defendi: hinc ortæ sunt pugnæ & cædes, mortesque millies mil- lenæ, hinc quoque necessitas condenda- rum civitatum nata, in quibus res, quas fin-

singuli advertus invatores tueri non poterant, omnes junctis viribus & communi consilio tuerentur.

8. Postquam vero in civitates concessum fuit, satis exterorum injuriis, publicis viribus obviam itum est; civium vero inter se non modo injuriæ, sed & privatæ vindictæ atque *μονομαχίαι* legibus prohibitæ sunt in omnibus fere terræ partibus.

9. Verum in septentrione toto, non modo non interdicta fuit, sed legibus quoque sancta, factaque unicum medium & via ad obscuras lites sedandas, donec tandem successu temporis in pessimum abusum degeneravit per sceleratissimorum hominum licentiam, qui fiducia virium & cupiditate divitiarum illeksi quoscunque divites & nobiles, ipsosque reges, ni res petitas impetrabant, in pugnam provocabant; sic Hareker Järnhös cum petita filia R. Ringeri, Hunvora, repulsa tulisset, sollicitavit eum ad pugnam ea lege, ut vitori cederet virgo. Torst. saga cap. 2.

10. Si vero virgo quæ petebatur vel sponsum vel procum alium habuit, etiam ille provocabatur; sic a Kolone Krappe citabatur Rex Harald Gullmun/  
Sturl. S. 6. & Hialmar ab Hiorvader.  
Herw. S. c. 4.

11. Fiebat autem provocatio hoc ritu: provocator aut per alios pugnam hosti indixit, ut Romani per *Feciales*: sic Kolo R. Haraldum primo per patrem virginis Asæ pulcræ, iterum per socios victi ab se Hemingi, citavit, vel ipse, ut Fradmar Sturlogum; & quidem ea lege, ut si pugnam detrectaret, vocaretur infami omnibus nomine, hwar mans nis ding/ & non modo id, de quo decernendum erat, sed aliquando quoque omnes suas res & opes hosti cederet. vid. Hist. passim. Aliquando pecunia certa utrinque in pugnæ eventum deposita est; sic Kolonem inter & Sturlogum de pondō argenti convenit. Sturl. S. c. 10.

12. Indixit quoque provocator locum pugnæ, qui plerumque erat in circis s. Lefwallar/ ad aulam cuiuspiam regis.  
vel.

vel comitis, vel in trivio, vel etiam domi,  
 ut Torstani & Grimmeri pugna contigit,  
 Torst. 16. Alioquin duo perquam celebres  
 loci erant, jam a primis fini huic destinati:  
 unus ad Gotelbam, Göttaålf in parva in-  
 sula, prope ab ingenti illa aquarum præ-  
 cipitania, Trållhåtta Sturl. 6. 7. 9. ad hunc  
 Kolo Haraldum & Fradmar Sturlogum  
 vocavit: alter in parva insula Samsöö  
 quæ vel in mari Balthico est non pro-  
 cul a Zelandia, vel prope charybdin Nor-  
 vagicam, per quam transitus ad wallhall  
 sive aulam Plutonis creditus est esse. Ab  
 his insulis *nououaxia* dicta est holmgång.

13. Tempus pugnæ solenne ut plu-  
 rimum erat primo vere, sive exitu me-  
 diæ hyemis, när högsta winteren år för-  
 bij/ idque vel eam ob causam, quod  
 tempus id opportunissimum rebus ge-  
 rendis erat, vel quod pugnæ feriis Ju-  
 liis indictæ prius fieri non poterant.

14. Si vero provocatus vel infra su-  
 am dignitatem ratus vel viribus diffisus  
 cum provocante dubitaret congregari, aliū  
 qui vices suas ageret, substituit. Sic Rex

Ha-

Haraldus Hemingum, deinde Sturlogum, qui loco suo cum Kolone pugnarent, conduxit.

15. Sed si ante constitutum tempus ad locum certaminis venerunt, exstruetis casis per noctem quiescebant. Sturl. 9. ut prima luce, quæ appellabatur *wigliost* / sive certaminis lux, ad arma surgerent.

16. Quum tempus pugnæ esset, tegmen pelliceum, vel corium sub pedes eorum stratum est, vel quoque circulus iis circumdatus, qui limes utriusque esset, extra quem nisi victori ire non licet: deinde provocator legem certaminis s. *Enwigſkamps* lagen recitavit, ad quam præter ritus usitatos novi aliquando adjecti sunt.

17. Deinde gladium alterius subinde inspexit alter, an eodem vinci posset. efficerant enim aliqui magica arte, ut nec ipsi, nec tota eorum progenies, alio quam uno tolli possent ense, sic Kolo Kroppinbak pater se & suos ab omnibus ferri ictu, excepto ense Angurval.

dal, tutos & inviolabiles præstitit. Torst.  
 3. Hunc jam pridem amissum an apud  
 Sturlogum inveniret, quæsivit Kolo fili-  
 us. Sturi, 10. Sed callide is, eundem ce-  
 favit, aliumque intuendum præbuit, sic-  
 que alteri feroces animos addidit.

18. Tum vero qui sibi nimis fide-  
 bat & in manibus se victoriam habere  
 credidit, alterum blandis verbis tenta-  
 vit & commemoratione suorum gesto-  
 rum pellicere ad concedendam sine cer-  
 tamine victoriam, armaque viatori cum  
 re de qua certandum erat, tradenda. Id  
 fiducia sui Hemingo & Sturlogo persua-  
 dere adgressus est Kolo. Talis vero vi-  
 etoria & minus periculosa erat, utpote  
 incruenta, & viatori gloriosior, sed sum-  
 me ignominiosa & infamis victo.

19. Si illud ex voto non successit,  
 alter alterum nefastis & abominandis  
 verbis lacepsivit, sperans Furiarum hor-  
 rida invocatione desperationem & pa-  
 vorem hosti incuti posse, sic Goliat Da-  
 videm adgressus est; vel voluerunt hosti-  
 bus furorē ciere, & sic ad adcuratam pu-  
 gnam

gnam illos ineptos reddere: sic R. Rolvo G.F. Berserkos Haldani Russiæ Regis narratione de genere eorum infanda in furorem tantum vertit, ut prorsus impotes sui facti sint: tum vero levi eos opera morti dedit. Rolfs. f. 31.

20. Tum demum infestis animis in pugnam ruebant, & provocatus ex lege certaminis primum iictum dabat, sed non punctim, quia sic uno iictu tota pugna potuisset absolvī, sed cæsim, erant enim pugiones nostris heroibus parum in usu. Deinde pugna exarsit, nec tam crebris, quam gravibus & atrocibus plagiis fiebat, tribuebatur enim gloria non tam percussionum numero, quam magnitudini, & præclara illa victoria habebatur, quæ paucis iictibus parta.

22. Si vero pugna inita alterutè de vita & victoria desperans, animum remisit, tum se viētum professus, arma abjecit & vitam lucratus est. Aliquando vero alter, cui corpus, vestes vel arma carminibus erant imbuta, fiducia sui arma quædam abjecit, quo expeditior es-

set ad alterum invadendum: sic berserki omnes cum furor ille *status* eos invasit, solo gladio instrucli se hostibus obje-  
re, indeq̄ dicti sunt berserki, a ber nudus & serk lorica.

22. Aliquando vero non se soli mo-  
do tutabantur, sed accessit quoque mi-  
nister, *Sföldswān* dictus, qui clypeum  
Domino prætenderet. Katle S. Sic Rol-  
voni cum Harekerō pugnanti a Thoro-  
ne præpositus fuit clypeus. Rolfs G. S. 38,  
Aliqvando ictus quoque dabat minister,  
vel factos a Domino ictus dubios auge-  
bat & mortiferos fecit. Sic Rolvō Nefia  
s. naso, hærentem in humero Kolonis gla-  
dium Sturlogi, clava in ejus viscera ade-  
git. Sturl. 10. Interdum opem alterutri  
adferri lege cautum erat, ut in pugna  
Fradmaris & Sturlogi. Sturl. 12.

23. Si vero pugna eorum unius diei  
spatio finiri non poterat, compotationi-  
bus & secura quiete noctem terebant:  
ita Almund & Eigle: interdum quatri-  
duum continuata est, ut Torstani & Gri-  
meri. Denique non Duces modo inter  
se

se manus conserebant, sed & eorum socii aliquando; sic quatuor socii Sturlogi cum totidem Fradmaris singuli cum singulis confligebant. Sturl. 12. Is animus erat sociis Almundi & Eigilli, ut cadente alterutro, singulatim inter se dimicarent. Asm. 2.

24. Deinde in hac pugna non modo viribus & arte bona, sed & mala certatum est: sic Biarmiæ rex Hareker cum Herrodo & Smider alternatim pugnans, cum viribus non posset, magia eos vicit; vertit enim se in draconem & aprum, subque ea specie male eos adfecit. Herr. B. 13. Memorabilis est pugna, quam Svipuder cum Finno quodam instituit, qui ut erant ambo magicæ artis callentissimi, ita suos utriusque ictus, utut vehementissimos & velocissimos, tam callide eludebant, ut neuter fauciaretur. Sed cum in omnibus pares essent, rabidissime, in canes versi se invicem mordebant, & neutrum tum etiam viatore, in aquilas transformati, rostris se invicem fodie-

bant, donec una caderet, altera viētrix avolaret. Sturl. 12.

25. Insuperabiles vero varia arte se præstiterunt. Quidam indusia vel vestes corporis imas adeo incantatas habebant, ut nullo ferro perviae essent, talem Irrlandiæ Regis filia Orvaroddo donavit, ope cujus quoque II filios Andgrimi stravit, talem Benkhilder suo sposo confecit, quæ & terrum elusit & vires natanti addidit. Asm. II. Thore Hund in Finnia mercaturam exercens 12 togas e pelibus rangiferorum sibi confici curavit, tanta arte præparatas, ut nullo armorum genere penetrabiles essent. Ol. f. 187.

26. Quibusdam id opis in clypeis fuit, ut si personarent tacti, portenderent certam victoriam, sic scutum Regideri Russiæ regis. Gangu Rolfs f. Alii magicas herbas & unguenta in interiori clypei parte condebant. Quorundam clypeorum margines magicæ runæ, malum astasfur dictæ, ambibant. Gretta 38. Non paucis e medio clypeo cornu, Gretta

tla 38. veladamas, ut in Wilh. Si ods l. 5.  
 eminebat umbonis loco, qui quamdiu  
 salvus mansit, certam attulit victoriam:  
 Sic quoque lapillus cassidi Grimeri in-  
 fertus, dum immotus erat, eum invictum  
 præstidit. Torst. 16. Aliorum corpus non  
 nisi magia bene imbutis gladiis pervium  
 erat, ut Kolonis ejusque progeniei, o-  
 mnibus præterquam enī Angurvadal  
 impenetrabile. R. Harekeri, soli ensi Bu-  
 flæ incantato. Herrod 13. & Otulfaxi, de 80  
 viris in μονομαχίᾳ victoris, soli cultro Sin-  
 dre pygmæi pervium erat. Torst. 23.

27. Sed qui tandem victor de alte-  
 ro factus est, non modo insignem glo-  
 riam fortitudinis, sed & id, de quo cer-  
 tabatur, reportavit, imo & spolia & am-  
 putatum caput vieti recens vel sale con-  
 ditum domum tulit. Gretta 70. reliquum  
 vero corpus ex condito & lege rite  
 terra condere & sepelire debuit. Orvar-  
 odds l. 20.

28. Sed tantæ crudelitatis interdum  
 erant gigantes, ut dentibus vieti guttur  
 secare non horruerint. Sigmundus guttur

Synfiotlæ præmordit. Wulf. l. 8. & Og-  
mundus vici a se Vigneri. Orw. S. 29. Sic  
Orulfaxe Torstani jugulum laxare denti-  
bus conabatur. Torst. 23.

29. Si vero & arte & viribus pares  
erant, nec vincere aut vinci poterant, co-  
ibant in sanctissimum fraternali amoris fœ-  
dus, jurantes ex lege fœderis se fidissimos  
futuros, omnia sua bona ex æquo posses-  
suros tam præsentia quam futura, alterū  
alterius mortē vindicaturum & eum tu-  
mulaturum, & tumulo thesaurum illatu-  
rum, nec non funeri alterius tres noctes  
adfessurum. Hanc deinde legem, fœtibrō-  
ðralag/ sanguinis sui comissione sancie-  
bant & familiarissimi homines facti sunt.

30. Interdum quoque vici & gra-  
viter vulnerati in fraternali societatem  
a victoribus adsciti sunt, ut Fradmar a  
Sturlogo jam morti vicinus, & Eigillus  
ab Alsmundo prostratus. Et maxime mi-  
rum est infensissimis & in summo pu-  
gnæ ardore constitutis animis tantum  
amorem se subito infudisse, ut non mo-  
do vitam, sed & arctissimam familiari-  
ta-

tatem hosti obferrent, eamquē sanctam  
 & inviolatam ad finem vitæ servarent:  
 hoc vero summæ humanitatis est in Ar-  
 étois argumentum, virtutem etiam in  
 hoste admirantis.

31. Sed erat quoque aliquando pu-  
 gna ineunda cum masculi animi feminis,  
 Gåttfonor & sföldmider inde dictis, quod  
 in armis natæ & exercitatæ erant. Sic  
 Tvare rusticus congressus est cum Brin-  
 hilder, quæ victa ei nupsit; sic Hervora  
 major cum multis latronibus conflixit,  
 eosque neci dedit, ejus neptis Hervora  
 minor ex equo pugnavit cum Lauduro  
 fratre, & Thorborga cum Rolvone di-  
 micans multos ex ejus exercitu fudit:  
 Non degeneravit a sanguine patrio Pen-  
 thefilea Amazonum regina, quæ cum  
 Achille ad Trojam pugnavit. Hom. Il.

32. Eæ vero pugnæ, quæ non indi-  
 cebantur, raptim & sine lege fiebant,  
 erantque crudeliores pro ratione causæ  
 & personarum. Sic in piratas pessimos  
 quum Reges & regum filii inciderunt,

gra

graviter eos multarunt. Gigantes vero etiam innoxios homines sibi obvios sine causa & lege ad pugnam sollicitabant & vita spoliabant.

33. His memoratis & aliquando pluribus ritibus *μαρωμαχία* veterum instituta est, & tam ad civiles, quam criminales lites decidendas usurpata, donec leges copiosiores in eum finem latæ sunt. Et meretur quidem aliqua parte laudem hic mos in defectu legum: nam status ille naturali erat, quam civili similior, in eo autem quivis contra invasores se & res suas defendere necessum habet, quia auxiliū magistratus implorare non potest, qui jus dicat & litem dirimat, debet igitur vim vi repellere & jus suum armis tueri, tum præsertim, quum periculum tam prælens est, ut aliter propulsari nequeat. Sed nec in eo statu quisquam obstringitur ad fugam capessendam, sive suum jus alteri cum periculo vitæ indulgendum, qvin potius fas est adgrestorem, qui semel injurius erat,

pro

pro hoste habere, & qui talis est, nullo amplius jure munitur, quo minus quovis modo ab altero repellatur.

34. Quidam fama & vita quia pari passu ambulant, idem licet in existimationis & famae propugnatione & vindicatione, quod in vita: nam existimatio illa simplex, in eo consistit, ut quis habeatur pro viro bono & ad socialitatis humanae leges prono; quae si demitur, non magis pro homine habetur. Igitur si injuste ea per malos homines imminuitur, debet eandem omni modo alter adserere & vindicare. Sic cum provocabatur quispiam in pugnat, ea lege, ut si exesset, infami nomine niding oneraretur, & juxta res suas amitteret, necessitate adactus est duplii ad certamen, tum ut res suas, quae petebantur, tum quoque famam conservaret, quae citra certamen amissus erat.

35. Denique & pugna potuisse abstinere provocatus, & minas ac contumelias provocantis susque deque habere, nisi non modo opinione vulgi, sed &

lege confirmata fuissent in eum dicte-  
ria, quæ jecit provocator. Vulgo quidem  
ille timidissimus & nullius frugi homo  
habitus est, qui non comparuit ad pu-  
gnam citatus, sed & lege sanctum fuit,  
ut talis haberetur: ex gr. in fine legg. Upl.  
hæc extant: Si vir viro probrosum verbum  
dicat, non es virili pectore, nec viro cuiquam  
par, & respondeat alter, ego sum vir, qualis tu.  
Et in tridio convenient. Si compareat provo-  
cans, nec provocatus, si talis ac vocatus erat  
a provocante, ut quin nec promare nec pro femi-  
na testimonium & ius jurandum dicere possit. Si  
vero compareat provocatus & non provocans,  
ille hunc ter altissima voce infamem s. niding  
pronunciet & signum in terra radat, si que  
alter eo deterior, quod dixit, que prestare non  
ausus est. Si jam uterque compareant, justis in-  
structi armis, & provocatus cadat, dimidio mul-  
etae capitalis pretio s. mād half mans boot/  
cædes ejus expiator: si vero provocans cadit,  
imputet suæ temeritati, capitalis ei lingue sua  
peculantia, jaceat in campo inexpiatus, sive ce-  
de prorsus impunita.

36. Non itaque mirum est, prinos adeo fuisse majores nostros ad pugnam ineundam, quum tota salus eorum verteretur in ea; sed erat quoque aliud, quod eos instigabat, nempe beata fortium virorum vita apud Odiniū s. Plutonem post mortem, timidorum vero fors miserissima, qui alternatim flamma montis Hæclæ, & intentissimo gelu Islandiæ torquendi erant. *Saxo Gr. præf. ad hist. Dan.*

37: In eo igitur statu rei publicæ non modo necessariæ, sed & laudabiles erant *μοναχίαι*, non item jam in bene constitutis civitatibus, quippe quæ tollunt unionem subditorum inter se & subditorum cum imperante, quæ anima rei publicæ sunt. Ita vero uniri debent inter se subditi, ut consentiant in animum hostes propulsandi junctis viribus, & media ad eum finem necessaria comparandi, qui consensus bonus & firmus cum fieri nequeat, ubi omnibus, quod placet sentire & agere licet, necessum est, juncti hac ratione inter se cives, suam voluntatem omnes unius hominis vel con-

cili i voluntati subjiciant, inque unam regiminis formam consentiant.

38. Sed violatur ea concordia, quum cives proprio ex arbitrio & privatim lites suas terminant, nec compositione modo partium, sed & vi atque injuria multiplicit: pars enim summi imperii est, lites & injurias civium cognoscere & dirimere, singulorumque facta ad normam legi examinare, ac poenam legibus congruam dictitare & infligere; quod omne per civium *μοναχίας* destruitur.

38. Deinde omne jus & fas tam divinum quam humanum abrogaretur, si totum ex armis malorum penderet, & res omnes jure occupatae & adquisitae dicerentur, quæ robusti & feroci homines aliis, qui viribus sibi inferiores erant, per vim eripuissent. Præcipitaretur sic publica res in eum miserum statum, ac Norvagica res detrusa erat tempore Eri- ci Comitis, quum berlerki & gigantes immanes cives omnes pro lubitu prædabantur, & quoscumque divites ac nobiles spe divitiarum ad pugnam sollici- ta-

tabant: & tum quidem res tota perdita  
fuisset nisi dictus comes & nequissimos  
illos in exilium ejecisset, & monachias om-  
nes legibus prohibuisset. Gretla. c. 17.

40. Non itaque in civitate licitum  
est in duellum descendere ob lites diri-  
mendas, sed debet provocatus ubi peri-  
culum imminet, præsidium sibi circum-  
ponere & magistratui indicare vim sibi  
ab altero intentari, abque illo opem con-  
tra invasorem implorare. Si vero in a-  
renam sine necessitate cum provocatore  
descendat, inque tales angustias rediga-  
tur, ut nisi eum interimat, ipse perire  
debeat, sicque se defensurus, alterum spo-  
liet vita, homicidii reus est: quia leges  
eum prohibebant in tale periculum se  
conjicere, & inconsulto magistratu pri-  
vatam vindictam parare.

41. Sed si insidiis & dolo invada-  
tur, nihil mali metuens, & vita ejus in  
summo discrimine sit, nec possit auxili-  
um magistratus invocari, nec fuga aut  
receptus tutus sit, tum demum vim vi  
opponere licet, & hostem etiam cum

cæde repellere, imo eo usquæ invadere,  
donec pœnitentiam facti ostendens veni-  
am perat. Vindiæta vero & de futuro cau-  
tio magistratus arbitrio subjicienda sunt.

42. Veterum ista opinio fortitudi-  
nis & prompti animi, jam quidem ut im-  
pia & rei publicæ noxia abolita est per  
leges publicas; restat tamen ejus radix  
in ferocibus etiamnum juvenibus, qui  
in rixas & pugnas ruere, & ne levera  
quidem contumeliam inultam pati, ge-  
nerosi & fortis animi signa putant. Sed  
facessant illa ex populo Christi, quem  
decent pax, concordia, amor, ad condo-  
nandas injurias pronitas & arctissima  
in DEO unio, quam cum divino Au-  
gustino affectabimus, dicentes: Feci-  
sti nos ad te, nec requiescimus,  
donec perveniamus  
ad te.

SOLI DEO GLORIA!

